

- ligna in gravi necessitate, si grave non affe-
ra incommodum diviti.*
- 46 *Ita potest permitttere pauperem comedere, Vuas,
Fabas, in extrema, vel valde gravi neces-
sitate.*
- 47 *Custos potest permitttere, ut pauperes colligant
spicas decedentes de manibus messorum.*

- 48 *Limita nisi Dominus aliquos certos pauperes
elegisset, quibus concederet colligere spicas.*
- 49 *Ex affectu avaritiæ prohibendo pauperes col-
ligere spicas, peccat, tam Dominus quam
Custos.*
- 50 *Custos non potest permitttere Vineas devastari,
Vuas foras efferi.*

ARTICULUS XII.

De Negligentia Custodum Vinearum,
Hortorum, Agrorum.

- C**ustos acceptando munus custo-
diendi, Vineam, Domum, Ani-
malia, vel rem cuiusvis generis,
recepta mercede, quasi con-
trahit, & sic tenetur ex quasi
contractu, regula autem constituitur, quia
tunc Custos tenetur de dolo, culpa lata,
& levi, non autem levissima, *l. si ut certo
§. nunc videndum ff. commodati, l. Contractus
23. ff. de reg. Jur., Azor. instit. moral. p. 3.
lib. 4. c. 6., latè Cagnol. in dicta l. Contractus
num. 11. & seqq.;* Quamquam de præposito
alicui negotio cum lucro, & mercede
teneri, etiam de levissima, *Senserit Rota
Genue decis. 172. num. 1., & de Custode
Carceris ex allegatis per Mascard. de probat.
concl. 470. num. 3.,* licet criminaliter de le-
vissima, regulariter nemo punitur, ut ibi,
& numeris seqq. pluribus allegatis ostendit
de quo infra de Carcerario Custode reorum,
at si custodia esset tantum in gratiam Do-
mini, nec Custos quidquam reportaret uti-
litas, aut commodi, teneretur tantum
de dolo, & lata culpa *dicto §. nunc viden-
dum,* & latè *glos. in c. 1. V. de Levissima de
commodato.*
- 2 Hinc est, quod Fænerator, si fuit negli-
gens in custodia pignorum, puta in excu-
tiendo res pignoras à tineis, vel defen-
dendo à Stilicidio, & huiusmodi, tenetur
de culpa levi, *Baldus in l. quæ fortuitis C.
de pignor. act., Cagnol. supra num. 44.*
- 3 Amplia, quod Custos, qui male in Cu-
stodia versatur, tenetur etiam de damno
ab aliis dato: *Nata. conf. 79. num. 4., Lu-
dovif. decis. 146. num. 14., & in hoc casu
negligentia, & fraus æquiparantur ad no-*

- tata per *glos. in c. ea quæ de officio Archid.*
- 4 Quod autem diximus, Custodem non ten-
neri de culpa levissima. Fallit primò cum
custodia committitur perito in arte, aut ei,
qui pro tali se gessit, & res sit de facili fran-
gibilis, ut vasa vitrea, cristalina &c. tunc
custos tenebitur, non solum de culpa lata,
& levi, sed etiam levissima, quia natura
rei de facili frangibilis, & professio peritiæ
in Custode ad hanc culpam extendunt ob-
ligationem Custodis, *l. si merces §. qui colum-
nam, ubi glos. in verbo diligentissimus ff. locati,
Alciat. in l. magna negligentia num. 14. ff. de
verbor. signific., Cagnol. supra num. 45.,* ubi
latè examinat Sententiam dicentium, quod
ut Custos teneatur de levissima, sufficiat,
quod res natura sua sit facillè frangibilis,
non autem hoc sufficere dicit, sed ulterius
requiri, ut Custos profiteatur se in arte pe-
ritum, & certo rationi valde congruit, nam
Dominus facilius fidet res custodiendas pe-
rito in arte, quam non perito, quia ab eo
majorem sperat, & expectat diligentiam,
quam à non perito, undè majori diligen-
tia obligatus tenebitur de levissima, *Caroc.
de locato p. 4. tit. de culpa q. 2.,* ubi latè plu-
ra assert pro intelligentia *§. qui Columnam,*
licet altera Sententia bene locum habeat
in casu, de quo infra fallentia quinta, &
bene faciunt scripta per *Angelum de Pariglis
in suo tract. Societatum p. 2. num. 17. in vol.
1. tract.*

Hinc sequitur, quod artifex, qui recepit
gemam expoliendam vestem mundandam
&c. teneatur etiam de culpa levissima, non
tantum pro se, sed etiam pro suis famu-
lis, & operariis, & sic pro levissima negli-
gentia

- gentia tenetur, *Sylvester V. Custos num. 2. per
d. §. qui Columnam.*
- 5 Fallit secundo, si Custos pacto expresse
se obligat ad culpam levissimam promit-
tendo majorem diligentiam, quam ceteri,
vel ut præeligatur in concursu, vel ut ma-
jorem mercedem consequatur, tunc tene-
tur de levissima negligentia, *Lessius de Just.
& Jure lib. 2. c. 7. dub. 7. num. 32.,* quia
contractus ex conventionem legem accipiunt,
Cagnol. in l. Contractus num. 17. ff. de reg. Jur.
- 6 Fallit tertio in eo, qui se profitetur cæ-
teris peritiorem in rei Custodia, puta equi,
quia tali professione implicite promittere
censetur majorem diligentiam, & sic tene-
tur de levissima, *Sylvester V. Culpa. q. 4.*
- 7 Fallit quarto, quando quis ex aliquo con-
tractu tenetur ad Custodiam, non solum
de dolo, & culpa lata, sed etiam de culpa
levi, ut in locato: *Caroc. de locato p. 4. tit.
de culpa q. 1.,* ut cum locator, aut condu-
ctor tenetur rem custodire, aliàs tenetur
de culpa levi, quia contractus est in gra-
tiam utriusque Contrahentis, *l. Si ut certo
§. nunc videndum ff. commodati;* Si verò lo-
cator, aut conductor ulterius commodum,
vel utilitatem aliquam recipiat pro custo-
dia cum hoc pacto, ut debeat operari ali-
quid ultra, facit teneri de levissima, quo-
modo intelliguntur, *tex. in l. qui mercedem,
& l. Dominus ff. locati, Caroc. de locato p. 4.
tit. de Casibus q. 12. num. 52., & p. 4. tit. de
culpa q. 2. num. 4., Sylvester V. Custos nu. 2.,
Valer. de differentiis utriusque fori V. Damni
differ. 1. num. 5. in fine.*
- 8 Fallit quinto, in casu quo res tradita cu-
stodienda de sui natura requireret diligen-
tissimam curam, quia tunc quis acceptan-
do custodiam censetur secundum rei exi-
gentiam promittere diligentissimam Custo-
diam, & sic teneretur de levissima, *dicta
l. si merces §. qui Columnam ff. locati, Caroc.
de locato p. 4. tit. de culpa q. 2. num. 11.*
- 9 Fallit sexto, & tenetur de levissima,
quando esset in mora restituendi, puta Cre-
ditor receptum pignus, custodire tenetur,
& si contingat, quod ipse Creditor contra-
hat moram in restituendo, & hoc interim
contingat casus fortuitus ex levissima cul-
pa Creditoris custodientis, ipse de hac le-
vissima negligentia teneretur, ut post *Gait.
de credito c. 4. num. 1179., & seqq.,* notat,
Merlin. de pignor., & hypoth. p. 4. q. 131. n. 1.
- 10 Fallit septimo in eo, qui recepit rem Cu-
stodiendam in gratia sui tantum, tunc etiã
tenetur de levissima, hinc infertur, quod
dictum est de Commodatario, qui cum re-
ceperit rem commodatam gratia sui tan-
tum, tenetur rem commodatam ita custo-
dire, ut non solum de lata, & levi culpa,
sed etiam levissima teneatur, ut est *tex.
expressus in c. 1. de Commodato,* ubi latè,
*glos. in V. de levissima, l. in rebus, l. si ut cer-
to ff. commodati,* quod intellige in foro fori;
nam in foro conscientie ex levissima culpa
non obligatur, ut pluries supra notavi, &
præter ibi allegatos addo, *Cagnol. in l. Con-
tractus num. 31. ff. de reg. Jur.,* licet in con-
trarium, alleget *Barbosa in dicto c. nuiconu.
5. de Commodato.*
- 11 Fallit octavo, si Custos casum fortuitum
in se suscepisset, tunc etiam de levissima
culpa tenetur, dum vult teneri in casu for-
tuito, absque ulla sua culpa contingente,
ided utrumque casum parificat, *tex. in c. 1.
de Commodato,* & notant, *Bald., Paul. de
Castro, & alii in l. 1. C. Commodati,* quia
contractus ex conventionem legem accipiunt,
*tex. in l. 1. §. Si convenerit ff. depositi, reg.
Contractus 85. de reg. Jur. in 6.*
- 12 Quærent D.D., an Custodes, qui ex of-
ficio tenentur, negligentes denunciare vio-
latores puta Gabellæ, Datii, vel vastan-
tes Vineam Sylvam &c. teneantur ipsi ea
reficere damna, quæ dominus patitur, &
ad pœnam, ad quam erant illi violatores
condemnandi, si fuissent per Custodes de-
nuntiati, puta res cecidissent in Commis-
sum, vel juxta legis dispositionem vena-
rant condemnandi, ut in centum aureis,
an Custodes negligentes custodire, & de-
nunciare ad hanc pœnam Dominis tenean-
tur, affirmant ex *Theologis Salon., Sayr.,
Villalob., Vasquez. 1. 2. d. 175. c. 1. num. 9.
& seqq.,* & alii quos citat, & sequitur,
*Valerius de differentiis utriusque fori, V. resti-
tutio differen. 39., Azor. par. 3. lib. 4. c. 16.
q. 5. Vers. Secundo dicendum,* Sed mihi vi-
detur verior, quod non ad pœnam, sed ad
refectionem damnorum tantum tenean-
tur, eo quia peccant graviter contra Justi-
tiam, non denunciando, prout teneban-
tur ex vi contractus, vel quasi Contractus,
cum ad id sint mercede conducti; nempe
ut eorum opera evitent damna violentium
&c. Sicque cum agatur de damno vitando
obliga-

- obligatio interpretanda est favore domino-
rum, ad pœnam verò non sic, quia quoad
pœnam agitur de lucro captando, nec vi-
dentur conducti Custodes, ut quærant lu-
cra domino, & idèd hanc Sententiam mer-
itò probabiliorè, & veriorè dixerunt
allegati per *Dianam p. 2. tract. x. resol. 23.*,
Vers. idèd quæro, & p. 3. tract. 5. resol. 14.,
& *tract. 6. resol. 35.*, *Trulench. ad decal. lib.*
7. c. 13. dub. 3. num. 8. *Bonac. de restit. d. 2.*
q. 2. p. II. num. 10., *Reginald. lib. x. tract.*
2. num. 96., & *lib. 13. ad finem num. 294.*,
Filliuc. tract. 40. c. 7. q. 7., *Navar. c. 25. n. 34.*, *del*
Bene de Sancto Offitio p. 1. dub. 133. nu. 7.
- 13 An præsumatur negligentia in Custode?
dixi p. 1. præsumi, vide notata ibi, quæ non
repeto artic. 12. num. 9., *Addas Oldrad. conf.*
92. incipit Pax habebat Castrum, *Gramatic.*
voto 29. num. 8., *Mascard. de probat. concl.*
370., *Ludercb. conf. 154.*, *Leoncil. decis. Fer-*
rariae 77. num. 19.
- 14 Limita tamen negligentiam præsumi in
odium ipsius negligentis, secùs verò in fa-
vorem tertii, puta, si quis vellet se excu-
sare allegando negligentiam Custodis, tunc
negligentia non præsumatur, ut bene li-
mitando advertit *Farinac. q. 31. n. 32.*
- 15 Ex quo sequitur, quod Custos non solum
debeat probare rem periisse; sed insuper de-
beat probare se adhibuisse omnem diligen-
tiam l. fin. ff. de Custod. reorum, quibus pro-
batis, si quis vellet dicere culpa, vel Cu-
stodis negligentia periisse, id debeat pro-
bare *Mascard. d. concl. 370.*, *Gramat. supra*
num. 15. 16., ubi rationem reddit, quia
ex officio custodiæ tenetur custodire dili-
genter, *Conciol. alleg. Civil. 1. nu. 39.*, *Far-*
inac. q. 31. num. 19. 20. 21., ubi quod si
probaverit Custos se per antea adhibuisse
omnem diligentiam, tunc intrat præsum-
ptio pro præsentì tempore fuisse, & esse
diligentem, ac per consequens rem non pe-
riisse ex Custodis negligentia, & qui con-
trarium diceret teneretur probare, limi-
tabis tamen eum eodem *Farinac. d. q. 31.*
num. 22. 23., nisi in contrarium probetur
negligentia, quia tunc ex diligentia præ-
terita non stat præsumptio pro præsentì.
- 16 Ita qui substituit in Custodia Virum pro-
bum, & per antea diligentem, ac fidelem,
si postea mutatis moribus, hic substitutus
fiat negligens, & negligentia damnum pa-
riat, de hac negligentia non tenebitur ille,
- qui substituit, quia substituendo talem Vi-
rum adhibuit diligentiam requisitam, nec
in minimò defecit de quo art: videndus est
Oldrad. conf. 92. incipit Rex habet Castrum.
- 17 Ex quibus autem argumentis præsumatur
negligentia in Custode Carcerum vide *Far-*
inac. supra num. 26., & seqq.
- 18 Absentia autem à loco Custodiæ, & re-
custodienda, negligentia gravis reputatur
in Custode, itaut Custos teneatur de rei
interitu, & *Commentariensis de fuga reorum*
l. ad Commentariensem C. de Custodia reorum,
& si Custos ex causa necessaria cogeretur
abesse, tunc debet alium Custodem ido-
neum, & à Judice approbandum substi-
tuere, *Bald. in d. l. ad Commentariensem*,
Farinac. d. q. 31. num. 41. 57., aliàs si ipse
Custos Carceris alium, vel alios substituat
non approbatos à Judice, tenebitur ipse de
negligentia substitutorum, quia ei impu-
tatur si malè apposuit Custodes, *Parif. de*
Syndic. in Vers. Carcer., & *Carceratus c. 5.*
sub num. 3.
- 19 Non omittendi sunt casus notati in l. si
Servus §. si quis Insulam ff. ad l. aquiliam, ubi
si Custos Fornacis, postquam incendit For-
nacem obdormivit, & hoc interim ignis for-
nacem egrediens lædat vicinos, qui obdor-
mivit, & neglexit custodiam tenetur de
damno, nam licet dormire sit passio natu-
ralis, & de se inculpabilis, tamen quia de-
bebat præcavere periculum, & sic aut Ignè
extinguere, donec dormiret, vel alium Cu-
stodem substituire, aut se à dormitione
continere, quæ cum neglexerit in culpa
fuit.
- 20 Alter Casus, si Custode dormiente alius
superveniens immittat ignem, & combu-
rat Domum, vel Sata, Custos tenetur
damna reparare quia in culpa fuit, negli-
gens in Custodia.
- 21 Diximus supra, quod Custodes Vinearū,
Sylvarum, Hortorum ex officio conducti
mercede non manifestantes, non Claman-
tes, non Custodientes Negligentiæ culpā
incurrant, ita ut ex eorum negativo influ-
xu, si damna sequantur ad eorum refectionem
teneantur, nunc ad singulares casus
descendendo inquirere placet, an si per-
mittant ingressos Vineam comedere Uvas,
vel ex Sylva ligna cedere, vel in Horto Po-
ma comedere, vel in Campo Spicas colli-
gere notentur negligentia, & teneantur ad dam-

- damnorum refectionem.
- 22 Difficultas autem oritur ex pluribus Sa-
cræ Scripturæ locis, in quibus videtur con-
cedi, unde nemo possit prohibere, & con-
sequenter Custos non prohibendo non cul-
pandus sit negligentia; Loca sunt.
- 23 *Levitici cap. 19. Vers. 9. ibi (cumque messue-*
ris segetes terræ tuæ non tondebis usque ad so-
lum superficiei terræ, nec remanentes Spicas
colliges, neque in Vineâ tuâ racemos, & grana
decidentia congregabis, sed Pauperibus, & Pe-
regrinis carpenda dimittes, Ego Dominus Deus
Vester.
- 24 *Levitici cap. 23. num. 22. ibi (postquam au-*
tem messueris segetem terræ Vestre, non seca-
bitis eam usque ad solum, nec remanentes spi-
cas colligatis, sed Pauperibus, & Peregrinis
dimittetis eas, Ego sum Dominus Deus Vester.
- 25 *Deuteronomii cap. 23. Vers. 24. ibi (Ingres-*
sus Vineam Proximi tui comede Uvas, quan-
tum tibi placuerit, foras autem ne efferas te-
cum, si intraveris segetem amici tui franges
spicas, & manu conteres, falce autem non
metes.
- 26 *Deuteronomii cap. 24. Vers. 19. ibi (quando*
messueris segetem in agro tuo, & oblitus, ma-
nipulum relinqueris, non reverteris, ut tollas
illum, sed Advenam, Pupillum, & Viduam
auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus
Deus tuus in omni opere manuum tuarum, si
fruges collegeris olivarum, quidquid remanse-
rit in Arboribus, non reverteris ut colligas, sed
relinquas Advenæ, Pupillo, & Viduæ; Si vin-
dimiaveris Villam tuam, non colligas remanen-
tes racemos, sed cedent in usum Advenæ Pupil-
li, & Viduæ.
- 27 *Libro Ruth toto capite 2.*, ea executioni
leguntur demandata, cum maxima huma-
nitatis, & optimæ voluntatis ostensione.
- 28 *Matthei cap. 12.*, Christus Dominus de-
fendit discipulos transeuntes per Campos,
& sata aliena, evelentes spicas, manu con-
terentes, & manducantes, dum Farisei
calumniabantur, Justos, Innocentesque
declarat, ut etiam notatur in *Canone Dis-*
cipulos de consecrat. dist. 5., ubi *Turrerem.*,
Ex quibus Scripturæ locis videtur Viatori-
bus, Peregrinis, Pupillis, Viduis, omni-
busque Pauperibus concessa facultas ingre-
diendi Vineas, Sata, hortosque alienos,
ut fructus comedant, quantum sibi placue-
rit, unde non poterunt Custodes culpari
si non expellant, si taceant, si non re-
- velent.
- Difficultas visa est non levis, ita ut D.D.
varias excogitaverint Scripturarum Intelli-
gentias, & responsiones.
- 29 Prima est *Covarovic in peccatum p. 2. §. 2.*
num. 3., quem plures sunt sequuti, qui in-
telligunt eas locum habere in extrema ne-
cessitate, sequitur *Felinus in addit. ad prin-*
cipiatum opus Abbatis in cap. omnes leges dist. 1
nu. 3., per *tex. in c. sicut, cum glos. dist. 47.*
- 30 Secunda eas Scripturas habere locum,
etiam extra necessitatem, ita *Gratian. di-*
scept. for. c. 80. num. 16. 17. 18., *Cagnol. in*
l. Quæ propter 123. num. 6. de regul. Jur.,
Caroc. de locato p. 7. concl. 20. nu. 2., *Ripa*
in l. 2. num. 3. ff. de damno infecto, quia da-
ta extrema necessitate, licebit non solum
comedere, sed etiam foras efferre, quia in
extrema necessitate omnia sunt communia,
idest communicanda; Idèd *Surdus de ali-*
mentis tit. 8. privil. 39. num. 8 dicit, non
valere Statutum prohibitivum in hac ma-
teria, quia contra Jus divinum, & Vale-
rus de differentiis utriusque fori in *V. Pec-*
catum differentia 23., dicit, si darentur Sta-
tuta prohibitiva in hac materia, tamquā
nimis rigida, non obligarent in Conscien-
tia.
- 31 Tertia Intelligentia, & responsio ad ea
loca Scripturarum est Lyrani, qui dicit ea
præcepta fuisse data Ebreis, ex spetiali cau-
sa, quæ post Christi Adventum in lege no-
va cessavit, nempe ad servandam inter
Ebreos amicabilem Communicationem,
idèd dicitur (*ingressus vineam proximi tui.*
- 32 Verùm hæc intelligentia, & responsio nō
solvit difficultatem quia Scriptura faculta-
tem facit Advenis, Peregrinis, Pupillis,
Viduis, & Pauperibus inter quos, & cum
quibus non erat necesse fovere amicabilem
Communicationem, Peregrini enim, &
Advenæ in Remotas Regiones pergunt,
& forsan numquàm reverfuri, unde cum
eis non poterat contingere Communicatio,
& cum Pauperibus consideratur potius in-
digentia, quam amicitia.
- 33 Quarta Intelligentia fuit quorundam
Rabinorum, suppresso nomine à Lyrano
allegatorum, qui interpretabantur de In-
gressis ad operandum.
- Verùm sustineri minus potest, nam Advenæ,
Peregrini, pertranseunt, nec ingrediuntur
ad opus, ita Viduæ, Pupilli, & Paupe-
res

res non ad opus, sed ad Succurrendum suis indigentibus ingrediuntur Vineam, Sata &c.

- 34 Quinta Intelligentia est, quod conceditur hæc facultas ingressis ex Dominorum permissione tacita, vel expressa, alias Domini possunt prohibere, ne alii fundum suum ingrediuntur, & hoc de Jure, *can. omnes leges dist. 1. ubi*, quod transire per agrum alienum fas est, Jus non est, ex quo *Cepolla de Servit. rusticorum prædiorum c. 20. n. 3.*, dicit, fas est Domino non prohibente, quia eo prohibente non potest ingredi, quia Jus non est, id est Jus non habet.
- 35 Verum neque ista intelligentia videtur subsistens, si attendamus rationem in textu scripturali à Deo allatam post exaratum præceptum dicit (*Ego Dominus Deus vester*) quod importat, id est præcipere, quia Dominus est, juxta *Psal. 23. Domini est terra, & plenitudo ejus Orbis terrarum, & universi qui habitant in eo*, quare cum supremus Dominus ea concedat, non possunt rerum Domini, qui subditi Dei præipientis sunt contra Dei concessam facultatem prohibere, & sic additur in *cap. 24. Deuteronomii (Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum)* nam Deo manu aperiante omnia implebuntur bonitate.
- 36 Sexta Intelligentia est, glossæ ordinariæ ad illos *tex. Levitici, & Deuteronomii*, quæ dicit, *tex. esse cautè intelligendum, quasi recedendum sit à sensu litterali, & propterea recurrit ad mysticum, sicque interpretatur, ingressus Vineam, id est Ecclesiam, quæ est Vineam Evangelicam, quam plantavit Pater familias Matb. 21., comedere Uvas, id est Misteria Fidei, & evangelicæ veritatis, quantum tibi placuerit, quia de Spirituali Musto torcularia redundant, foras tamen ne efferas, id est extra Ecclesiam, quia bonum non est sumere panem filiorum, & dare Canibus.*
- 37 Septima est Glossæ interlinearis, quæ nomine Vineæ intelligit Sacram Scripturam, nomine Messis, & Segetis, intelligit Scientiam Scripturarum, nomine Messorum intelligit Patres, & Doctores explicantes Sacram Scripturam, nomine Spicarum, quæ cadunt de Manu Messorum, intelligit occulta misteria, quæ mandavit Deus dimittenda Pauperibus colligenda, quia humilibus, & pauperibus Spiritu revelat Deus Misteria multa, quæ sapientibus, & prudentibus occul-

tat, juxta illud *Mathei 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea paruulis.*

- 38 *Diana p. 3. tract. 6. resol. 20.*, non approbat sententiam dicentem ex prædictis locis Sacræ Scripturæ, licere Pauperibus, Pupillis, & Viduis ingredi Vineam alienam, & comedere vvas quantum sibi placuerit, nam dicit ipse id quoque valeret de pomis, ficis, & piris, quæ si concedantur *ve ve Dominis Hortorum, & Vinearum, ita Diana*, atamen nullam reddit rationem, aut fundamentum, cur hoc non liceat, & cur Sacræ Scripturæ loca suam non habeant virtutem.
- 39 Octava Intelligentia asserit præcepta scripturalia non se extendere ad alias nationes extra Ebreos, eo quia facta sunt Ebreis, ut gratum animum præferrent, ut pari referrent nationibus, dicit enim *Deuteronomii c. 24. in fine Memento, quod & tu servieris in Egipto, & ideo præcipio tibi, ut facias hanc rem*, quare cum præceptum sit personale, non excedit personam.
- 40 Nona Intelligentia est, quod hæc præcepta in lege nova cessaverint, nam in lege nova sola præcepta naturalia moralia perseverant in suo robore, Judicialia vero ceremonialia, & Cujusvis alterius generis, quæ non sint moralia naturalia cessaverint, ad tradita *per Ricciol. de Jure personarum extra gemium Ecclesie lib. 2. cap. 14. nu. 1. 2., & cap. 15. nu. 2. in fine, & nu. 27.*, ubi quod lex vetus cessavit quando Christus in Cruce clamavit dicens *Jo. 19. Consummatum est, Joannes de Salus de legibus disp. 23. sec. 5., & comprobatur D. Thom. p. 2. quest. 103. art. 3., & q. 104. art. 3.*, Immo secundum *D. Thom. p. 2. q. 99. art. 5. in corpore*, quæ mandavit Deus Judæis locis supra cit. potius dicenda sunt mandata, quam præcepta, & potius ad utilitatem, & charitatem, quam ad necessitatem, & Justitiam spectantia.
- 41 Vides ergo ex tot, & variis intelligentiis difficultatem remanere obscuratam, & insolutam, nam licet concedamus, quod verum est ea præcepta, seu mandata in lege nova cessasse, tamen adhuc perseverat quedam ratio convenientiæ, & charitatis, ut pauperes possint moderatè comedere in alieno fundo fructus terræ, qui Donum Dei sunt, quæ convenientia radicem habet in distributione bonorum à Deo facta hominibus

nibus; non si diviti data sunt multa prædia, pauperi nullum, si dives abundat, panibus, & terræ fructibus, pauper autem egestate premitur, conveniens est, ut Dives communicet pauperi, & quia de ista communicatione posset inquiri ad quid, & quantum se extendat, Deus hoc declaravit per hoc, quod ingressus Vineam proximi comedat Uvas quantum sibi placuerit, foras tamen ne efferat, quia efferendo excedit convenientiam, & furtum Comittit.

- 42 Hinc *Statutum Ferrariæ lib. 4. rub. 51. de damnis datis in Vineis puniendis*, statuit quod, ad exportantes vvas Sacco, Cista, Corbe, vel aliter, nihil tamen meminit de Comedente, quod tacitè est declarare, non esse punibilem Comedentem, & *Pigantius ad Statutum lib. 4. rubr. 2. num. 8.* quærit, an contra Viatorem, & Peregrinum detur actio de damno dato, ex quo pascit equum in alieno, & comedit vvas in vinea non sua, & respondit non dari, quia illi licet comedere, & equum pascere, non tamen fructus asportare, ita, & *Caroc. de locato p. 7. concl. 20., Gratian. discept. for. c. 80. nu. 16. & seqq., Barbat. de divisione fructuum p. 1. c. 6., Peregrin. decis. 133. num. 12.*

Qua propter Custodes non peccabunt negligentia in sequentibus casibus, quos distinctos ponam ad rem enodandam.

- 43 Primò, quando Pauperes pro suis extremis necessitatibus cedentes ligna in alieno, & asportantes non peccant, etiam si præcepto, aut lege pœnali prohiberentur, eo quod Domini in eo casu irrationabiliter sunt invitati, unde nec potest dici Furtum, ut bene notat *Cardenas trac. de damnatis propositionibus disert. 23. c. 1. art. 1. num. 3. in fine*, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, id est communicanda, ita *Gutierrez. canonicar. qq. lib. 2. c. 27. nu. 1., Sotus. de Just. & Jure lib. 4. q. 6. art. 4. col. 3., & licet in c. si quis propter necessitatem de furtis dicatur furtum committere, & pœnitentiam agere debere per tres hebdomadas, qui propter necessitatem alienum asportat, tex. tamen, non de extrema, sed de modica, ut dicit gloss., vel de gravi necessitate intelligitur communiter à D. D. relatis à *Barbosa ibi n. 2.*, & de gravi necessitate damnata fuit propositio *ab Innocent. XI. de Anno 1679. proposit. 36.*, notandum tamen est, quod si Domini terrarum acerbe*

nimis agerent contra pauperes asportantes ligna ad succurrendum suæ necessitati, non essent sine nota defectuosæ Charitatis, in hoc ergo primò Casu Custodes Camporum, Sylvarum &c., non sunt negligentes, si tolerant pauperes ligna asportare.

- 44 Difficultas poterit forsan excitari, quomodo Custodes possint dignoscere illos extrema necessitate præmi, ex quo extrema necessitas non præsumitur; solutio est, quod dubius tenetur vel ipse inquirere, vel domino denuntiare, ut inquirat, quod si dominus hoc neglexerit, peccabit, & verificabitur illud *Psal. 35.*, noluit intelligere, ut bene ageret, astitit viæ non bonæ; malitiam autem non odit, vel ex circumstantiis, ut si videat hominem asportantem ligna non sufficientibus protegi tegumentis, sed frigore perstringi, vel ejus familiam, si alioquin valde pauperem illum agnoverit, si alii aut frigore perierint, vel infirmitate gravati sint, si intensiori frigore hyemali tempore plures patiantur &c., quare debet ex circumstantiis arbitrari, quæ limita si Dominus esset in pari necessitate, quia in pari causa melior est conditio possidentis.
- 45 Neque esset negligens Custos tolerando pauperes ligna asportantes in gravi eorum necessitate, ex quo Dominus tenetur pauperibus in gravi necessitate existentibus elemosinam dare, si sibi grave non afferat incommodum ex allegatis *per Dianam p. 4. tract. 4. resol. 215., & p. 5. tract. 8. resol. 15.*
- 46 Ità pariter Custos non est negligens tolerando pauperes comedentes Uvas, Fabas, Poma in extrema, vel valde gravi necessitate; de extrema nemo dubitat, quia tunc bona sunt communicanda, & si prohiberet, occidere diceretur pauperem fame pereuntem *c. pasce dist. 86.*, ubi si non pascisti, occidisti, *Leoncil. de privil. pauperum in V. Furtum privil. 170. à num. 3., & seqq.*, quia tunc pauper non committit furtum, ex quo non contrectet rem alienam, sed communem, vel si alienam, non est rationabiliter invito Domino, tum quia divisio jure humano subsequuta non derogat Juri naturæ *Jurrecrem. in Discipulos de Consec. dist. 5.*, De valde gravi necessitate id notant D. D. allegati *per Barbosam in c. si quis propter necessitatem num. 4. de furtis, & in gravi necessitate, quando divites tenen-*